Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1667

Quelle:
Copyright:

XLI. *fol.* 261. Epiſtola *Henrici de Beaufort* Ep. *Winton.* Card. S. *Euſebii* ſcripta, ut in calce, *Magiſtris ciuium Conſulibus et Scabinis nec non toti communitati Ciuitatum Pragenſium.* Initium: *Henricus permiſſione diuina Cardinalis Anglie Wintonien. Epiſcopus. Filioli quos iterum parturio donec reformetur chriſtus in vobis. Gratia vobis et pax in eo qui natus bone voluntatis hominibus pacem dedit* &c. Virum hunc illuſtri loco natum, quem *Alph. Ciaconius* in *Vit. Pontiff. et Cardd.* T. II. *col.* 845. perperam cum *Henrico Chichelaeo* Archiep. *Cantuar.* συγχρονῳ confundit, *Martinus* V. a. 1427. ad praedicandam contra *Huſſitas* crucem, colligendasque copias in *Germaniam* ablegarat. Siniſtros Legationis hujus eventus narrat *Aen. Silvius Hiſt. Bob. c.* 48. Inſtructiones ab *Henrico* Praedicatoribus *Cruciatae* datas *Edw. Brownius Append.* ſuae ad *Faſcic. Rer. expetend.* &c. *Lond.* 1690. p. 626. inſeruit; *Epiſtolae* vero noſtrae, quod ſciam, nemo meminit. Data eſt *Nurenberge Menſ. Julij die XVIII.* totaque in oſtentandis pacis et concordiae bonis inſumitur. Id unum legas: *Si uos hec parum moueant, moueat ſaltem corda ueſtra humani cruoris effuſio de ueriſimili euentura, dum etenim ſoli et ſegregati ab alijs ſtatis, chriſticolarum cunctas poteſtates et principes in veſtre communitatis exterminium, quod lamentabiliter referimus, prouocatis.* At nempe jam 21. *Jul.* terror panicus *Germanos* diſſipavit.

XLII. *fol.* 262. Hymnus de S. *Wenceslao*, qui incipit:

Wenceslao duci claro
Nos boemi perſonemus, carmen demus
dulcis melodie &c.

XLIII. *fol.* eod. *Miſſa wiklefiſtarum.* Satis profana Μιμησις omnium Miſſae partium, quae usque ad noſtra tempora non unum imitatorem invenit. Introitus incipit: *Triſtabitur iuſtus et letabitur impius in noui wikleff ſolemnitate Qui ſepultus extumulatus et combuſtus in Anglia condemnatur et tamquam deus in bohemia fideliter adoratur* &c. Epiſtola: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus o Jeronime* (de Praga) *que cepit wiklef facere et docere* &c. Evangelium praemiſſa longa Proſa: *Liber generacionis maledictionis omnium hereticorum filiorum diaboli filiorum Wiklepb. Wiklepb genuit Swewia* (quis hic?) *Swewia genuit Stanislaum, Stanislaus* (de Znoyma) *genuit Hus, Hus genuit Marcum de grecz* (Reginae) *Marcus genuit Sdeniconem* (de Labun?) *Sdeniko genuit Tyſſnow*, (Simonem de) *Tyſſnow genuit* (Petrum) *Konyprus* &c. *Stanislaum de Znoyma* hic inſertum putem, quod *Huſſi* in Theologia Doctor, et dum hic intra carpendos pravos Cleri